



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

Disputatio III. De hominis beatudine, ad q. 2. & 3. D. Th.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

D. Th. infr. q. 9. a. 6. ad 3. ubi hæc habet :
DEUS movet voluntatem hominis, sicut univer-
alis motor ad universale objectum voluntatis,
sed est bonum, & sine hac universali motione ho-
mo non potest aliquid velle. Ex quibus sic ducitur
 argumentum. Nunquam homo seipsum de no-
 vo movet & applicat ad volitionem finis in
 particulari, nisi prius à DEO moveatur ad vo-
 litionem finis in communi: ergo priusquam ho-
 mo seipsum determinet ad volitionem finis, &
 bene in particulari, movetur ad volitionem fi-
 nis in communi. Major est doctrina Doct. An-
 gel. alibi pluribus expendenda. Minor proba-
 tur. Proprius operandi modus in homine est,
 ut procedat ab universalibus ad particularia, sæ-
 pe etiam intentio finis in particulari est mala &
 peccaminosa, quæ proinde à DEO ut specia-
 li motore provenire non potest: ergo tantum
 intentio finis in communi est à DEO ut speciali
 motore.

¶ Sed dices primò: Hac ratione nullus actus
 humanus erit otiosus: quia otiosus est, qui ad
 nullum finem ordinatur: sed si omnis actus hu-
 manus refertur ad beatitudinem, nullus caret
 suo fine: ergo.

Respondeo, negando sequelam, ejusque pro-
 bationem distingo: Actus otiosus est, qui ad
 nullum finem proximum convenientem & ho-
 nelum ordinatur, concedo, ad nullum finem
 ultimum, nego. Nam ne actus sit otiosus, SS.
 PP. requirunt piam utilitatem, aut justam ne-
 cessitatem: finis autem ultimus in communi, in
 quem voluntas necessariò fertur, cum de se sit
 indifferens, ut applicetur ad finem particula-
 rem honestum, vel turpem, nullam actui tri-
 buit moralitatem.

¶ Dices secundo. Tametsi bonum creatum, ex
 actus inordinato amore homo peccat, sit quæ-
 dam participatio Divinæ bonitatis, non tamen
 illud appetendo dicimur hoc interpretativè &
 implicite velle propter DEUM: ergo licet bo-
 num particulare sit pars & inchoatio quædam
 boni ut sic, non sequitur, quod homo aman-
 do bonum particulare, illud interpretativè velit
 propter bonum ut sic.

Respondeo, negando consequentiam & pa-
 ritatem, quia bonum creatum, quatenus à pec-
 catore inordinatè diligitur, sicque substat ma-
 litæ morali, non amplius est participatio Di-
 vinæ bonitatis, sed eidem opponitur, sicque
 irreferibile in illam: E contra etiam, ut substat

malitiæ, servat habitudinem ad bonum & bea-
 titudinem in communi: quia non alia ratione
 à peccatore appetitur, nisi ut satiet & expleat
 appetitum: quæ appetitûs expletio est ipsa ho-
 minis beatitudo, & finis ultimus in communi.

§. II.

An etiam semper intendatur finis ulti-
mus materialis.

A Dhuc dubitatur. An omnis actus humanus
 sit insuper propter aliquem finem ultimum
 materialem; sive determinatum in particulari
 formaliter vel virtualiter intentum? Respon-
 deo cum Gonet contra Contentonum aliòsque
 plures, & dico esse. Nam licet actus aliquis
 inefficax simpliciter complacentiæ versari possit
 circa ultimum finem in communi & abstracto,
 efficax tamen intentio fertur in aliquem finem ut
 obtinendum; atqui finis ultimus obtineri non
 potest ut in communi & abstracto, sed ut deter-
 minatus ad certum subiectum: ergo efficax in-
 tentio finis ultimi fertur in illum ut determi-
 natum in particulari: Sed omnis operatio ho-
 minis deliberata est vel ipsa intentio efficax fi-
 nis ultimi, vel ex illa derivatur: ergo omnis
 operatio hominis deliberata est propter finem
 ultimum etiam determinatum, & in parti-
 culari.

¶ Sed dices. Si omnis actus humanus est vel
 ipsa efficax intentio, vel derivatur ex intentio-
 ne efficaci finis ultimi: quomodo peccans veni-
 aliter pro fine ultimo inefficaciter volito ha-
 bebunt bonum proprium, veluti in Arr. præcedenti
 affirmavimus? Respondeo efficaciam actûs
 posse dupliciter sumi, primò pro vi determi-
 nativa ad electionem mediorum pro consecutio-
 ne finis utilium, & sumimus ita in presenti; Se-
 cundò pro vi exclusiva omnis habitudinis in
 alium finem simpliciter ultimum, sive pro vi
 appetitiva finis ultimi super omnia, quo sensu
 accepimus efficaciam in §. præced.

Potest igitur aliquod peccatum veniale effi-
 caciter versari circa ultimum finem, quatenus
 habet vim determinativam ad electionem me-
 diorum pro consecutione ipsius: potest etiam
 sub alia ratione inefficaciter versari, quatenus
 videlicet non habet vim appetitivam ultimi
 finis super omnia, neque exclusivam omnis al-
 terius habitudinis in alium finem ultimum.

DISPUTATIO III.

DE

Hominis beatitudine.

Ad q. 2. & 3. D. Th.

Considerato fine ultimo hominis in communi, designandum est illud bonum, in
 quo finis ultimus, & veræ naturæ rationalis Beatitudo consistat, quam Boëtius
 3. de consol. appellat *statum omnium bonorum aggregatione perfectum*. D. Augu-
 stinus

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

C

stinus

finis 5. de civit. c. 1. *rerum omnium optandarum cumulatam plenitudinem.* Formalis Angel. Doct. hic a. 1. *Bonum totaliter quietans & satians appetitum.*

Dividitur beatitudo sic accepta primò in naturalem, quam in statu Naturæ puræ, vel integræ solis naturæ viribus homo potest consequi; & in supernaturalem, ad quem non nisi per supernaturalia auxilia evahitur, de qua nobis sermo. Secundò in essentialem & accidentalem, quarum illa occupatur in summo Bono per se primò & essentialiter; i. e. gloriâ corporis &c. Tertiò in formalem & objectivam, quæ simul sumptæ beatitudinem adquatè constituunt. Formalis est operatio, quæ assequimur summum Bonum, quod totaliter explet, & satiat appetitum. Nunc primò de beatitudine objectiva, tum de formali, ejusque proprietatibus, tandem de accidentali inquiramus. Unde fit

ARTICULUS I.

De Objectiva beatitudine hominis.

SUMMARI A.

1. Fides docet, beatitudinem hominis consistere in bono increato.
2. Status questionis.
3. Existencia, attributa, & substantie relative intrinsicè pertinent ad constitutionem objecti beatifici.
4. Visa essentia parit connaturale desiderium videndi necessaria adjuncta.
5. Disparitas inter existentiam coloris respectu oculi, & existentia Divina assentia respectu visionis beatificæ.
6. Alia est in Deo ratio primi principii, & finis ultimi.
7. Ut relationes pertineant ad objectum beatificum, sufficit, quòd sint termini intrinseci Divina essentia.
8. Absoluta sunt priora relationis sola virtuali prioritate a quo.
9. Beatitudo non dicit perfectionem secundum omnia sibi intrinsicè.
10. An sit per impossibile DEUS non esset Trinus, nihilominus foret objectum beatificum?
11. Prioritas originis in DEO non impedit simultaneam cognitionem.
12. Quomodo Pater æternus habeat à se ipso beatitudinem?
13. Sola Divina essentia est objectum formale visionis, ut est cognitio, non ut est beatificæ.

§. I.

In quo consistat objectiva beatitudo?

Certum est ex S. Script. Hominis objectivam beatitudinem consistere in solo bono increato. Ita Psal. 16. dicitur. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Pl. 12. *Quid mihi est in celo, & a te quid volui super terram?* Unde eleganter D. August. 1. de Mor. Eccl. c. 8. *Bonorum summa. DEUS nobis est, DEUS est nobis summum Bonum &c.*

Ratio est. In illo solo bono consistit objectiva beatitudo, quod solum potest satiare rationalem appetitum: sed solum bonum increatum Divina Essentia potest satiare hominis rationalem appetitum: ergò Minor probatur primò. Solus ultimus finis potest ultimò explere, & satiare appetitum, quia quidquid propter aliud appetitur, non ultimò sariat appetitum: sed solum bonum increatum est hominis finis ultimus; sicut est primum principium ipsius: ergò. Secundò potentia respiciens bonum universale, non sariatur aliquo ob-

jecto mutilato & particulari, sed intellectus & voluntas sunt potentie respicientes objectum universale, & amplissimum; ille verò, ista boni naturæ, ergò satiari non possunt ab ulla creatura, quæ est bonum mutilatum, particulare, deficient, sed ab illo solo expleri possunt, qui est ens per essentiam in se continens omne verum, & omne bonum. Neque refert, quòd intellectus & voluntas hominis sint potentie finitæ: sunt enim potentie subiectivæ & entitativæ finitæ; objectivæ tamen finitæ; idèòque petunt expleri ab objecto infinito, non tamen modo infinito.

Aliam subtilem & metaphysicam quaestionem excitant Scotistæ: an existentia & Trinitas personarum ingrediatur metaphysicè essentialè objectum beatitudinis supernaturalis, ita, ut si per impossibile, (nam possibile esse visionem Divinae essentia sine existentia & Personalitatibus negavimus in Tract. de DEO) visio Divinae essentia non attingeret exercitâ rationem existentia, neque substantias relativas Personarum, adhuc tamen Divina essentia esset objectum verè beatificum; si quaeratur existentia & personalitatum non sint de primario & essentiali, sed secundario, vel integrali tantum conceptu objecti beatifici.

CONCLUSIO. Non solum essentia, sed etiam, Trinitas sive subsistentiae relative Personarum & attributa pertinent intrinsicè ad constitutionem objecti beatifici. Ita communiter Thomistæ cum S. D. 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. Ratio fundamentalis est, quòd de ratione metaphysica objecti beatifici est, ut satiet & expleat omne justum desiderium, & appetitum Beati; sed essentia Divina præcisè existentia, attributa & personalitatibus non satiaret omne justum desiderium & appetitum Beati: ergò Minor probatur. Beatus desiderat Deum videre quidditative & intuitivè, ut in se, & subsistit: sed si tantum videret Divinam essentiam præcisam ab existentia & relationibus, non videret illam ut in se est, tum quia non videret esse, quòd est quidditativum constitutivum Divinae essentia & distinctivum visionis intuitivæ ab abstractiva cognitione, tum quia non videret modos & terminos, in quibus essentia Divina subsistit.

Adde, quòd visâ essentia est connaturale desiderium ad videndas proprietates cum essentia necessariò & formaliter connexas; sed attributa & proprietates relativa necessariò & formal-

maliter cum Divina essentia sunt connexa: ergo Beatus habet connaturale desiderium videndi relativis proprietates. Vide, quæ diximus loc. cit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicitur primò Si Deus destructo colore conservaret visionem ipsius; oculus adhuc tam bene recrearetur visione pulchri coloris non existentis, quàm recreabatur visione illius existentis: ergo etiam intellectus tam bene potest recreari visione Divinae essentia tantum objective existentis, quàm nunc recreatur visione ejusdem exercitè existentis.

Respondeo primò, negando antecedens; quia, quidquid sit de possibilitate talis visionis, destructo colore viso, non eodem modo perficeret oculum, quo prius, siquidem non maneret intuitiva, nec representaret colorem, ut in se est, sed fieret quodammodo abstractiva, in quantum representaret colorem præcisè secundum aliquod esse terminativum & objectivum in oculo.

Respondeo secundò, existentiam non esse intrinsicè cum constitutivum coloris, sicut est constitutum Divinae essentia; neque objectum oculi essentialiter exigere, ut sit adæquatè satisfativum, hoc est autem prædicatum essentiale Divinae essentia in ratione objecti beatifici, ut sit adæquatè satisfativa; non autem esset adæquatè satisfativa, nisi esset clarè visa, ut in se est.

Objicitur secundò. Ad rationem objecti beatifici satis est, quod se Divina essentia exhibeat tanquam ultimum finem, & summum Bonum, sed essentia Divina etiam præcisè personalitatibus exhibet se ut summum Bonum, ergò. Minor probatur. In tantum DEUS habet rationem ultimi finis, in quantum habet rationem primi principii, sed ratio primi principii DEO convenit, ut est unus, non ut est Trinus, adeòque præcisè relationibus; ergò etiam hoc modo ipsi convenit ratio ultimi finis & summi Boni.

Confirmatur 1. Relationes Divinae in nostra sententia, tradita in disp. de DEO Trino, non superaddunt perfectionem ad essentiam: ergò essentia Divina præcisè relationibus habet rationem summi Boni beatificantis.

Confirmatur secundò. Ratio summi Boni & beatitudinis pertinet ad perfectiones absolutas; sed perfectiones absolutæ sunt priores relativis: ergò etiam per prius convenit Divinae essentia ratio summi boni & beatitudinis, quàm concipiatur proprietates relativæ.

Respondeo negando majorem: Licet enim idem ens, quod est primum principium, sit etiam finis ultimus, & hæc duo inter se convertantur, in quantum ex se mutuo inferuntur, non tamen eadem sunt formalia prædicata beatitudinis, & ultimi finis, quæ sunt formalia prædicata primi principii, cum ratio beatitudinis, & finis simpliciter ultimi importet essentiam DEI clarè & quidditative in se visam, ideòque omnimodè satisfactivam, at ratio primi principii tantum importet perfectionem naturali lumine cognoscibilem.

Ad 1. confirmationem nego consequentiam, ut enim personalitates relativæ intrinsicè perti-

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

pertineant ad rationem objecti beatifici, satis est, quod sint termini intrinseci, in quibus essentia Divina subsistit, & sine quibus, ut in se est, quidditative videri naquit.

Ad 2. confirmationem Respondeo. Ratio summi Boni pertinet ad perfectiones absolutas, quæ tamen necessariò includant aliquid relativum, concedo, quæ non includant, nego. Rursus Absoluta sunt priora relativis, præcisè secundum virtuales prioritates à quo, concedo, secundum virtuales prioritates in quo etiam in cognoscendo, nego.

Instabis primò. Beatitudo dicit perfectionem, relationes non dicunt perfectionem: ergò ratio beatitudinis convenit Divinae essentia independentè à relationibus.

Respondeo cum distinctione. Beatitudo secundum se totam & adæquatè sumptam, nego, inadæquatè sumpta, & secundum rationem magis primariam, concedo. Nam adæquatè sumpta includit terminos intrinsecos, in quibus subsistit.

Instabis secundò. Si per impossibile DEUS tantum esset unus, & non Trinus in Personis, adhuc essentia Divina esset objectum beatificum: ergò personalitates non sunt de ratione intrinsecæ ipsius.

Respondeo, quod in hac hypothese impossibili Divina essentia esset objectum beatificum alterius rationis, quàm nunc est, quia enim tunc aliter subsisteret in se, quàm nunc subsistit, etiam posset esse aliò modò clarè visa.

Objicitur tertio. Pater æternus est beatus visione suæ essentia, quatenus præcisè à personis: ergò personalitates non pertinent ad objectum beatificum. Antecedens probatur. Pro illo priori originis, quo Pater æternus cognoscendo suam essentiam producit Filium, Filius non ingreditur objectum cognitionis, quia pro illo priori essentia nondum intelligitur Filio communicata, nec Filius intelligitur productus, & tamen pro illo priori Pater æternus intelligitur beatus visione suæ essentia: ergò est beatus visione suæ essentia quatenus præcisè à personalitatibus.

Confirmatur 1. Pater habet beatitudinem à se ipso independentè à Personis; ergò Personæ non pertinent ad objectum beatificum ipsius.

Confirmatur 2. Sola essentia Divina, ut virtualiter distincta à personalitatibus & attributis est objectum formale tum increata, tum creata visionis: ergò etiam se solà præcisè personalitatibus & attributis potest esse objectum beatificum.

Respondeo, negando antecedens, ejusque probationem, quia, ut dictum in disput. de DEO, ordo sive prioritas originis non impedit, sed exigit simultatem durationis & cognitionis. Ideòque etiam pro illo priori originis, quo Pater producit Filium, natura Divina intelligitur communicata, & Filius productus pro posteriori originis, h. e. ut accipiens naturam communica- tam à Patre.

Ad 1. confirmationem distinguo antecedens. 1. Pater habet beatitudinem à se ipso principiative, h. est. per exclusionem alterius principii, à quo illam accipiat, concedo, objectivè, h. e. per exclusionem alterius Personæ concurrentis in ratione objecti, nego.

C 2

Ad

13. Ad 2. Confirmationem Respondeo in primis per illam nimium probari; cum enim essentia Divina sit etiam motivum formale comprehensivæ visionis, sequeretur, quod DEUS seipsum posset comprehendere non visis Personis, quod nemo concesserit. Secundò igitur distinguo antecedens. Est objectum formale visionis, ut est cognitio, concedo, ut est beatifica, nego. Nam

visio sub ratione cognitionis exigit pro objecto formali motivo id, ratione cuius omnia in DEO sunt intelligibilia, sed hoc est essentia Divina, cuius essentiale constitutum est ipsum intelligere actualissimum. At verò sub ratione beatifica exigit pro formali objecto id, quod est summe satiativum & certificativum, quod non est, nisi essentia Divina ut in se clarè vífa.

ARTICULUS II.

An beatitudo formalis consistat in operatione creata?

SUMMARI A.

1. *Varia sententia de beatitudine.*
2. *Beatitudo formalis ponenda in operatione creata.*
3. *Que non est partis sensitiva, sed rationalis.*
4. *Christi humanitas non beatificatur formaliter per unionem hypostaticam.*
5. *Increata DEI visio, non potest esse beatitudo formalis.*
6. *Neque substantialis illapsus Divina essentia in animam beati.*
7. *Neque gratia sanctificans, vel lumen gloria.*
8. *Neque potest a solo DEO procedere.*
9. *Exponitur modus loquendi SS. P. P.*
10. *Disparitas inter hypostasin & visionem.*
11. *Substantia anima est beatificabilis mediata.*
12. *Beatitudo formalis est maxima perfectio sub ratione actualitatis ultima affectiva summi boni.*
13. *Quid sit gratia consummata?*
14. *An homo beatificet seipsum?*
15. *An Christus formaliter sit beatus per unionem hypostaticam?*

§. I.

Statuitur beatitudo formalis in operatione creata.

1. **V**aria fuerunt de hoc puncto Antiquorum placita: nam Henricus Gandavensis, Hugo de S. Victore, & quidam DD. Parisienses contendeant, beatitudinem formalem consistere in intimo illapsu Divinitatis intra animam beati. Qui illapsus quadruplicem patitur expositionem. Primò, quòd ipsa DEI essentia intimè penetrans substantiam Beati, illam quodammodò in se transformet, sicut ignis ferrum candens. Secundò, quòd DEUS intimè unitus intellectui Beati eundem per suammet increatam visionem faciat & denominet videntem beatum. Tertio [prout Amicus Henricum exponit disp. 2. sec. 4.] quòd ipsa animæ substantia per donum habituale gratiæ consummatæ fiat unita Divinæ essentiæ. Quarto, quòd solus DEUS actum visionis & fruitionis beatificæ in anima Beati efficiat, ista passivè solum se habente.
2. Vera & communis Duce Divo Thoma hic art. 1. & secundò, sententia est, beatitudinem formalem creaturæ rationalis consistere in ipsius propria, creata, & elicta operatione. Cuius ratio est primò, Beatitudo formalis hominis est vita secunda ipsius juxta illud Rom. 6. *Gratiâ*

DEI vita eterna. Et Joan. 17. *Hæc est voluntas tua, ut cognoscant te solum verum DEUM.* Sed vita secunda hominis est operatio ipsius: ergò.

Secundò, Ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis, affectuionis & possessionis Summi Boni, est operatio vitalis ipsius: sed beatitudo est ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis. Major probatur. Quamvis homo est in potentia perfectibilis per actum secundum in genere vitæ intellectualis, tandem non habet ultimam perfectionem ejusdem generis; sed, si careat operatione vitali, est in potentia perfectibilis per actum secundum in genere vitæ intellectualis: ergò.

Tertio, Affectuio & possessio Summi Boni formaliter affectuiva Beati non potest intelligi absque vitali operatione ipsius; sed beatitudo formalis est adeptio & possessio Summi Boni formaliter affectuiva: ergò. Tandem sequent. §. constabit beatitudinem formalem consistere in actu visionis; sed hic est operatio vitalis: ergò.

Ex quo inferes 1. Hanc operationem vitalem non esse partis sensitivæ, sed rationalis, siquidem hæc sola est capax attingendi DEUM, ut finem ultimum & supernaturalem, uti pluribus insinuat in Tract. de DEO.

Inferes secundò: Quamvis unio hypostatica sit absolute major perfectio, quam visio beatifica, sitque fundamentum ipsius, quia Christo ratione unionis hypostaticæ debetur visio beatifica, Christum tamen non esse beatum formaliter per unionem hypostaticam, sed per visionem beatificam. Ratio ex dictis est: quod unio hypostatica non sit operatio vitalis, nec unio affectiva Summi Boni, qualem tantum est visionem, mox dicemus.

§. II.

Rejctio aliarum opinionum.

Inferes tertio: Beatitudinem formalem non posse consistere in increata visione DEI, quia ipse est beatus. Ratio ex dictis patet: quia visio increata DEI non potest denominare Beatum vitaliter operantem, & videntem, ipsiunque in genere naturæ intellectualis intrinsecè ac ultimato perficere; sed hoc totum requiritur ad beatitudinem formalem: ergò.

Inferes quartò. Beatitudinem formalem non posse consistere in illapso Divinæ essentia in substantiam animæ, nisi per illapsum intelligas concurren-
tium Divinæ essentia per modum speciei intelligibilis ad causandam beatificam visionem. Ratio est eadem, quia illapsus ille non est vitale exercitium & operatio Beati. Adde, quòd ille illapsus non sit perfectior in ratione unionis, quam sit unio hypostatica, quæ tamen animam Christi beatam formaliter non reddit.

Inferes quintò: Beatitudinem non posse consistere in lumine gloriæ, aut alio dono habituali, quia habitus nec dicit ultimam actualitatem & perfectionem, neque affectionem Summi Boni, quam essentialiter dicit beatitudo.

Inferes sextò. Neq; per absolutam Dei potentiam fieri posse, ut beatitudo formalis procedat à solo DEO, anima Beati tantum se habente passive. Sic enim non esset operatio vitalis Beati, neque posset ipsum denominare videntem & viventem, aut vitaliter consequentem Summum Bonum, quod repugnat beatitudini formali.

Neque opponas antiquum illud: posse Deum se solo, quidquid potest cum causis secundis efficientibus: hæc enim propositio fallit, quotiescunque effectus habet essentialem dependentiam à causa creata, & quoties causa creata non solum habet rationem causæ efficientis, sed etiam formalis vel subjectivæ & materialis respectu sui effectus: atqui visio tanquam ex propria differentiali ratione vitale exercitium videntis & viventis vitæ intellectivæ, habet essentialem dependentiam à principio conjuncto creato, neque tantum dicit habitudinem effectus ad videntem tanquam ad suum principium effectivum, sed etiam habitudinem formæ informantis ad subjectum à se connaturaliter actuale: hæc quippe duo sunt necessaria requisita ad vitam creatam in DEO secundo, primò, ut sit actus vitæ elicitus à principio intrinseco vitali, secundo, ut in eodem recipiatur, vivere enim est moveri ab intrinseco, & à se operari.

Nec obstat, quòd in visione beatifica verbum intellectuale creatum, quod aliàs ab actu intelligendi dependet, à DEO suppleri dicimus: non enim suppletur secundum adequatam rationem verbi, nempe tam quoad rationem expressionis, tam quoad rationem speciei representantis, sed secundum inadæquatam rationem speciei representantis, quæ sufficit ad terminandum actum visionis, etque absolute ab actuali expressione sive ab habitudine ad visionem experientem separabilis. At verò si DEUS se solo produceret visionem, intellectu Beati solummodo passivè & subjectivè se habente, deberet illam producere sub adequata ratione operationis & visionis vitalis, cum aliàs talis visio Beati nec determinaret videntem, nec viventem, nec proinde sufficeret ad beatitudinem, hoc autem implicare ex dictis constat.

Petes. An saltem visio, aut alius actus vitalis v.g. amor secundum inadæquatam rationem qualitatis, non verò operationis vitalis, à solo DEO produci, & in intellectu poni posset? Citantur pro hac sententia Capreolus & Cajetanus ab Antonio hic disp. 2. sect. 5. Verius tamen existimo,

non posse: quia implicat poni in rerum natura genus, non positis differentiis specificis & individualibus v.g. poni animal Platonicum, quod nec esset homo, nec brutum: sed poni visionem, aut actum alium vitalem præcisè secundum rationem qualitatis, non secundum rationem actus vitalis, nihil est aliud, quam poni rationem genericam (qualitatis) non positis differentiis specificis (vitalitatis intellectivæ) ad determinatam speciem contrahentibus: ergò. Minor probatur, De ratione specifica actus vitalis est, esse actum secundum, à principio intrinseco, esse tendentiam potentia in suum objectum &c. Ratio verò qualitatis est ipsi generica, & communis cum non vitalibus: ergò.

Confirmatur. Implicat rem poni, non positâ suâ essentia; sed essentia actus vitalis est esse vitalem, esse tendentiam in objectum à principio intrinseco, præsertim in actu amoris, qui per essentiam est voluntarius, & consequenter à principio intrinseco: ergò implicat actum vitalem poni à principio purè extrinseco, relicta ratione vitalitatis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objec. 1. SS. PP. comunitè affirmant, in visione & amore beatifico animam transformari in DEUM, sicut ferrum candens in ignem, & diaphanum in lucem, ita ut anima cum suis potentibus appareat, quasi aliquid Divinum: atqui hic modus loquendi significat substantialem quendam illapsum & unionem ipsius esse, vel intelligere Divini cum anima Beati.

Nec est assignabilis implicancia talis unionis, Nam quomodo de facto personalitas Verbi Divini cum natura humana Christi; & secundo essentia Divina in ratione speciei intelligibilis immediate unitur cum intellectu Beati. quid ergò repugnat increatam DEI intellectionem seipsa uniri intellectui creato ad ipsum formaliter constituendum in esse intelligentis & videntis Divinam essentiam?

Respondeo: SS. PP. esse exponendos de transformatione partim participativa per lumen gloriæ, quo eleventur ad Divinum modum intelligendi, partim intelligibili per contemplativam defixionem in Divinam essentiam sibi in ratione speciei intelligibilis intimè unitam. Ratio verò implicancie petita est, quòd illa unio substantialis Beati redderet ex hypothesi, & non redderet vitaliter videntem, fruentem &c. Siquidem implicat Divinam essentiam vel operationem vitaliter conjungi aut radicari in anima, vel potentia Beati, aut ab illo vitaliter procedere.

Hinc patet, quid sit dicendum ad postas instantias & paritates. Neque enim vel personalitas Verbi in humanitate, vel species intelligibilis in intellectu Beati habet rationem exercitij & operationis vitalis, sed illa termini hypostatici, ista motivi determinativi, & objecti terminativi intelligibilis: atqui beatitudo formalis ex propria ratione est exercitium vitale, & operatio vitalis Beati, ideòque debet in ipsa natura Beati tanquam principio immanenti radicari & originari.

C 3

Dicca.

Dices. Non minùs intelligere Divinum est infinitum in genere operandi, & eminenter continet omnem creatam operationem, quàm esse Divinum sit infinitum in genere essendi, & suppositandi, & eminet continet omnem hypostasin creatam: ergò si personalitas Divina potest per seipsam uniri naturæ; & supplere hypostasin ipsius, etiam Divinum intelligere poterit per seipsum uniri intellectui creato, & supplere creatam intellectionem ipsius.

Respondeo, negando consequentiam & paritatem. Non enim hypostasis sic originatur in ipsis naturæ visceribus, sicuti potentia & operationes; è quarum diversitate cognoscitur naturæ diversitas: unde sicut natura Divina substantialiter & immediatè cum creata natura non potest uniri, vel eandem supplere, sic neque Divina operatio humanæ naturæ immediatè uniri, aut creatam operationem potest supplere. Quæ eadem causa est, quòd olim PP. & Concilia ex diversitate operationum, diversitatem voluntatum & naturarum in Christo contra Eutychianos, & Monotheistas intulerint.

11. Obijcitur 2. Anima non tantùm secundum suas potentias, sed etiam secundum suam substantiam est beatificabilis, sed hoc modo tantùm beatificatur, vel per illapsum ipsius Divinitatis, vel per gratiam sanctificantem: ergò.

Confirmatur 1. Beatitudo est perfectissima animæ unio cum DEO: sed unio essentia Divinæ per illapsum cum substantia animæ est perfectior, quàm illa, quæ fit cum potentia per modum objecti: ergò.

Confirmatur 2. Perfectissima formæ debetur perfectissimum subjectum: sed animæ substantia est subjectum perfectius, quàm sint potentia: ergò beatitudo, quæ est forma perfectissima, debet recipi immediatè in ipsa substantia animæ.

Respondeo ad 1. negando minorem. Nam per visionem Divinæ essentia potentia quidem ut quod & immediatè beatificantur, ipsa verò substantia animæ mediatè & ut quo beatificatur.

Ad confirmationem primam Respondeo, Beatitudo est perfectissima unio in genere consecutionis, concedo, in genere unionis, nego. Aliàs deberet esse unio hypostatica: sed unio Divinæ essentia cum intellectu Beati videntis DEUM, est unio perfectissima in genere unionis transeat, in genere ascensionis, nego minorem & consequentiam.

Ad 3. distingo majorem. Perfectissima formæ debetur subjectum perfectissimum absolute, nego, juxta formæ proportionem, concedo: sed animæ substantia est subjectum absolute perfectius, concedo, juxta proportionem formæ recipiendæ, nego. Hæc enim cum debeat esse vitalis operatio, pro suo immediato & proportionato susceptivo perfectissimo debet habere potentiam vitalem perfectissimam,

Obijcies tertio. Formalis beatitudo est omnium maxima perfectio in ordine perfectionum supernaturalium, sed maxima perfectio supernaturalis est gratia sanctificans: habitus quoque supernaturales sunt perfectiores ipsis actibus, quos producant: ergò gratia sanctificans, aut aliud habituale donum potius habet rationem beatitudinis formalis, quàm aliqua operatio vitalis.

Confirmatur. Gratia consummata est ejusdem rationis cum gratia habituali sanctificante: sed gloria est gratia consummata: ergò consistit in ipsa gratia sanctificante.

Respondeo distinguendo majorem, est omnium maxima perfectio sub ratione ultimæ actualitatis assecutivæ summi boni, concedo, sub quacunque ratione, nego: sed gratia & habitus supernaturales sunt perfectiores suis operationibus, sub ratione entitatis, & principij productivi, transeat, sub ratione actualitatis ultimæ, & assecutivæ summi boni, nego minorem & consequentiam.

Ad confirmationem nego majorem: nam gloria idèd vocatur gratia consummata, quòd sit illa supernaturalis operatio, in qua tanquam ultimo fine & termino consumantur omnes gratia in hac vita concessa, & hæc est supernaturalis operatio.

Obj. 4. Si beatitudo consisteret in vitali operatione, cujus principium elicitive & effectivum foret ipsemet Beatus, tunc sequitur, quòd homo præmiaret & beatificaret seipsum: sed hoc est absurdum; cum præmium æternæ beatitudinis debeat esse à DEO tanquam præmiante.

Respondeo ad 1. membrum primò; sequitur, quòd homo præmiaret seipsum, ut quo, concedo, ut quod, nego. Præmium ut quod nihil est aliud, quàm assecutio præmij ut quod, & hæc utique est ab illo, qui præmiatur. Præmium verò ut quo, nempe ipsum summum Bonum beatificatum est à præmiante. Secundò negando utrumque membrum sequelæ; ut enim homo præmiaret & beatificaret seipsum, deberet principia & media eliciendi actum assecutivum summi Boni habere in sua potestate: atqui illa dantur à DEO, nempe lumen gloriæ, & ipsa Divina essentia concurrentes in ratione speciei intelligibilis.

Colliges ex dictis: quamvis Christus Dominus, præter visionem beatificam Divinæ essentia habuerit unionem hypostaticam, non tamen fuit beatus formaliter per ipsam hypostaticam unionem, sed per visionem Divinæ essentia: quoniam licet unio hypostatica sit major perfectio, quàm visio, & fundamentum ipsius visionis, in quantum ipsa debebatur animæ Christi per hypostaticam unionem, non tamen hæc unio, sed visio fuit unio assecutiva summi Boni, quæ est essentialis ratio formalis beatitudinis.



ARTICULUS III.

In quânam operatione rationali consistat beatitudo formalis?

SUMMARI A.

- 1. Varij actus Beatorum.
- 2. Beatitudo accipitur vel integraliter, vel formaliter.
- 3. Varietas sententiarum.
- 4. Removetur à beatitudine formalis actus voluntatis primò ex naturâ & inductione actuum voluntatis.
- 5. Secundo ex naturâ amoris.
- 6. Tertio ex natura beatitudinis objectivâ.
- 7. Quarto ex natura consecutionis illius.
- 8. Eliditur responsio Adversarj.
- 9. In sola visione consistere beatitudinem formalem ostenditur auctoritate.
- 10. Essentiale requisitum beatitudinis formalis, quòd sit primordialis consecutio & possessio Summi Boni convenit soli visioni.
- 11. Item quòd sit primò distinctiva status patriæ à statu viæ.
- 12. Finis aliquando significat acquiescere in re possessâ.
- 13. Quo sensu comprehensio pertineat ad voluntatem?
- 14. D. Augustinus loquitur de beatitudine integrali.
- 15. Beatitudo formalis est intima unio consecutiva, non prospectiva.
- 16. Quomodo beatitudo formalis adequatè debeat satiari naturam intellectualem?
- 17. An & quomodo beatitudo teneat suum objectum?
- 18. Visio quomodo DEUM assequatur sub ratione Summi Boni?
- 19. An visio sit perfectissima operatio?
- 20. Qualis esset beatitudo hominis in purâ naturâ.
- 21. An & qualis datur beatitudo in hac viâ?

§. I.

Præsupposita ad resolutionem Quæstionis.

Notandum primò. Plures esse actus, quos Beati circa suum objectum beatificum elidunt. Primus est clara & intuitiva DEI visio, de qua I. Jo. 3. Videbimus eum sicuti est. Secundò eliciunt actum amoris & charitatis, unde I. Cor. 13. dicitur: Charitas nunquam excidit. Tertio. Gaudium & delectationem: idèo Matth. 13. Servus bonus & fidelis jubetur intrare in gaudium Domini sui. Quia verò duplex est amor, videlicet amor amicitia seu benevolentia, quo amatur divina bonitas ut bona DEO; alter concupiscentia, quo amatur Divina bonitas ut bona videnti: idèo huic amori duplici respondet gaudium duplex, unum quo gaudet de omni bono DEI, quatenus est bonum ipsius DEI: alterum, quo gaudet de eodem, quatenus à se possessio.

Notandum secundò. Beatitudinem dupliciter posse considerari. Primò integraliter, prout dicitur statum collectum ex omnibus bonis, quibus Beatus perficitur, Secundò formaliter & essentialiter, prout dicitur primam affectionem Summi Boni; ex qua ceu fonte primordiali cæ-

tera bona cuncta promanant. Si primo modo accipiatur, certum est, in illâ actus tam intellectus, quàm voluntatis includi, quâ de causa in S. Script. & SS. PP. modò visionis, modò fructus, modò gaudij nomine nuncupatur. Si accipiatur modo posteriori, variè sentiunt Authores, quorum sententia (ut jam exoletas relinquam) præcipuè sunt tres.

Prima, quæ est Alberti M. D. Bonaventuræ, Suarezij, Amici. Disp. 2. sect. 6. docet beatitudinem formalem consistere in actu utriusque potentia, intellectus & voluntatis, nempe simul in visione & amore. Altera est Scoti in 4. d. 49. q. 1. dicentis, illam in solo actu voluntatis, & quidem in amore amicitia consistere. Tertia est D. Thomæ, ejusque sequacium, qui illam in solâ clara visione Divinæ essentia adequatè collocant, & reliquos actus amoris, delectationis, fructus tanquam proprietates inseparabiles consequi docent.

§. II.

Excluditur actus voluntatis.

CONCLUSIO prima. Beatitudo formalis, nec adequatè, uti vult Scotus, nec inadequatè, uti vult prima sententia, consistit in actu voluntatis.

Ratio est primò. Actus voluntatis non potest esse consecutio Summi Boni: ergò in illo nec adequatè, nec inadequatè consistit beatitudo formalis. Consequentia patet: Anteced probatur. Omnis actus voluntatis circa ultimum finem, aut est desiderium illius, aut gaudium, delectatio & fructus ipsius, aut simplex amor: sed nullus ex illis actibus potest esse consecutio illius ultimi finis. Ergò. Major patet ex sufficienti enumeratione: vel enim finis seu bonum est absens & sic est desiderium ipsius, vel est præsens, sicque est gaudium de ipso, vel fructus ipsius, vel abstrahitur à præsentia & absentia, sicque est simplex amor. Minor probatur: Desiderium est de bono absenti, ergò non est consecutio ipsius: Delectatio & fructus tendunt in bonum jam possessum; ergò supponunt consecutionem & possessionem boni. Amor simplex præcendit à præsentia; ergò nec ipse dicit possessionem.

Probatur Secundò. Amor amicitia, quo delectatur de bono DEI, quatenus bona DEI sunt, (in quo Adversarij vel totam beatitudinem formalem, vel partem illius collocant) non potest esse forma, quâ Beati consequantur, & beatificè possideant illud bonum, quod amant; ergò nulla ratione potest in illo beatitudo formalis constitui. Anteced. prob. Beatitudo formalis cum sit consecutio & possessio Summi Boni consistit in illo actu, qui est forma conjungens Beato bonum infinitum: sed amor amicitia non est talis forma. Ergò: Minor prob. Amor qui sistit in bono amici, ut bonum amici est, non est forma conjungens illud bonum cum amante, sed amor amicitia sistit in bonis DEI, ut sunt bona ipsius: ergo

ergo non est forma conjungens illa bona cum Beato.

6. Probatur tertio. Operatio, in qua formalis beatitudo consistit, debet esse adeptio objecti beatifici, sed qua ratione DEUS est objectum amoris amicitiae, non est objectum beatificum: ergo. Min. prob. DEUS rationem objecti beatifici non obtinet prout est nostrum Summum Bonum, sui possessione rationalem appetitum adaequatè satians; atqui amor amicitiae non tendit in DEUM, quatenus est nostrum, sed quatenus est suum Summum Bonum: ideo etiam posito amore amicitiae non sequitur amantem beatificari; ut patet in viatore, qui licet per actum charitatis specie & numero indistincta à charitate patriae feratur in DEUM, inde tamen ne quidem partialiter beatificatur. Confirm. Ea ratione DEUS est nostra Beatitudo objectiva in patria, qua ratione per actum spei ad ipsum tendimus in via: sed per actum spei tendimus ad ipsum, prout est nostrum Summum Bonum, nos sui possessione beans: ergo ut sic, & non ut est suum Summum Bonum est beatitudo objectiva.

7. Probatur Quarto. Operatio praesupponens consecutionem Summi Boni, uti non est prima illius consecutio, ita nec beatitudo formalis: atqui amor amicitiae praesupponit consecutionem Summi Boni; ergo. Minor probatur. Amor amicitiae ex se abstrahit à praesentia vel absentia objecti, estque indifferens ad actum desiderii, vel gaudii: Si enim bonum sit absens, gignit desiderium; si sit praesens, parit gaudium. Ergo quod magis pariat gaudium, quam desiderium, quoddamque sit conjunctus cum Summo Bono, potius quam se junctus, non habet ex propria natura, sed ex suppositione alterius actus, quo obtinetur possessio, & praesentia Summi Boni.

8. Respondent Adversarii: quod amor amicitiae praesupponat quidem in Beatis consecutionem, & possessionem Summi Boni in genere intellectivo, & sub ratione Summi Veri, non tamen in genere affectivo, & sub ratione Summi Boni.

Sed contra est primo. Ad genus affectivum non pertinet consequi, sed prosequi objectum: quia voluntas, quae tam est boni absentis, quam praesentis, non habet ex propria ratione, ut faciat sibi objectum praesens, illud trahat, teneat, consequatur, sed ut ab objecto trahatur & alliciatur, atque in illud inclinetur: ergo ne quidem in genere affectivo amor potest esse prima consecutio Summi Boni.

Contra est secundo. Quod etiam si actus voluntatis esset aliquo modo consecutivus sui objecti, tamen in pravio actu intellectus tanquam in radice contineretur, atque essentia metaphysica beatitudinis formalis dicit illam primam consecutionem Summi Boni, quae alias operationes circa illud radicaliter continet, & tanquam proprietates effundit: ergo essentia beatitudinis formalis non in actu voluntatis, sed intellectus quaeri & reperiri debet.

Contra est tertio. Quod licet ratio, sub qua intellectus fertur in objectum, non sit ratio boni, sed veri, tamen intra rationem primi Veri, quod intuetur intellectus Beati, etiam continetur ratio ultimi finis & Summi Boni; haec enim omnia re-

praesentantur per claram DEI visionem: ergo Beatus videndo DEUM, etiam illum consequitur secundum rationem finis ultimi, & Summi Boni. Nam secundum omnem illam rationem (ita ut termini reduplicativi non designent rationem motivam sub qua, sed terminativam qua) Beatus DEUM consequitur, quae ipsi representatur in visa DEI essentia; sed etiam ratio finis ultimi & Summi Boni adaequatè & inamissibiliter satisfiati, ipsi representatur in visa DEI essentia: ergo etiam secundum hanc rationem Summi Boni DEUM per visionem consequitur, Igitur

§. III.

Statuitur sola visio.

CONCLUSIO secunda, Beatitudo formalis in solo actu intellectus, nimirum clara DEI visione consistit. Ita S. D. hic a. 4. Conformiter Sacrae Scripturae quae saepenumero hanc visionem ceu vitam & mercedem aeternam proponit: Jo. 17. *Hac est vita aeterna, ut cognoscant te solum DEUM verum.* Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* 1. Jo. 3. *Qui apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Jo. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Consonant in eandem sententiam SS. Patres, Nazianz. Or. ad plag. grand. *Regnum calorum est contemplatio Trinitatis.* Ambros. l. 2. de offic. c. 2. *Scriptura Divina vitam beatam in cognitione posuit Divinitatis.* Praecipue D. Augustin. lib. 1. de Trin. c. ult. *Visio, qua contemplabimur immutabilem DEI substantiam, sola est Summum Bonum.* Soliloq. cap. 36. *Hac est plena beatitudo, & tota gloriae hominis, videre faciem DEI sui.* Et paulo post. *Visio ergo tua est tota merces, & totum gaudium, quod expectamus.*

Probatur ratione primo. Illa operatio essentialiter constituit beatitudinem formalem, quae ex suo intrinseco conceptu est prima consecutio & possessio Summi Boni, ex qua velut radice & fonte aliae operationes & potentiarum perfectiones promanant. Sed una sola clara DEI visio est ab intrinseco prima affectio & possessio Summi Boni, quae alias operationes & potentiarum perfectiones radicaliter continet, & ceu proprietates effundit: ergo illa sola formalem beatitudinem constituit.

Minor quoad 1. membrum probatur. Illius potentiae actus per se primo consequitur objectum, cujus proprium munus est objectum ad se trahere, & facere intime praesens; sed haec actus intellectus, utpotè potentiae representativae, qui objectum ad se trahit, & intime conjungit intelligenti, vel in esse intentionali & objectivo, si illud objectum uniatur mediante specie distincta, vel in esse reali, si illud per seipsum obeat munus speciei intelligibilis. Econtra actus voluntatis potentiae caecae & nullatenus representativae, non facit objectum sibi praesens, sed est pondus & inclinatio in objectum, à qua voluntas trahitur. Jam verò talis actus intellectus, in proposito, est clara DEI visio: ergo illa sola

sola est prima consecutio & possessio Summi Boni. Alterum membrum ejusdem minoris facile patet: quia visio est radix amoris necessarii, summæ delectationis, omnimodæ impeccabilitatis, aliarumque perfectionum, quæ ad eandem per modum proprietatum consequuntur.

Probatur secundo. Per illam operationem beatitudo formalis essentialiter constituitur, per quam status termini ac patriæ per se primò distinguitur à statu viæ; sed hoc fit per solam claram visionem DEI. Ergò. Minor probatur. Amor est ex se indifferens ad statum viæ & patriæ, & eadem est charitas in patriâ, quæ est in viâ: *Charitas enim*, teste Apostolo, *inquam excidit*. Rursus, si per possibile, vel impossibile videns DEUM non amaret ipsum, tamen esset comprehensor, & extra statum puri viatoris, econtra si amans DEUM non videret ipsum, non idè esset comprehensor, & extra statum viatoris: ergò id, per quod status patriæ per se primò distinguitur à statu viæ, non est amor, sed clara DEI visio.

§. IV.

Exponuntur auctoritates oppositæ.

Obijcies quasdam auctoritates, quibus videtur evinci, partim quòd fructio pertinet ad essentiam beatitudinis, partim quòd essentia beatitudinis pertinet ad voluntatem. Nam primò D. August. L. 8. de Civ. c. 9. inquit: *Nemo Beatus est, qui eo, quod amat, non fruatur.* Secundo Doctor Angelic. hic quaest. 11. a. 3. ad 3. dicit: *DEUS est ultimus finis, sicut res, que ultimo queritur, fructio autem sicut adeptio hujus ultimi finis.* Et quaest. 4. a. 3. ad 1. *Sicut ad voluntatem pertinet spes & amor, ita & comprehensio & delectatio.*

Respondet ad 1. Fruitionem ibi non accipi sicut, quo sensu citatus S. Pater Lib. de Doctrina Christi. cap. 4. dicit: *Fruis amore adhaerere alicui rei propter seipsam*; sed latè, prout significat fructum capere, vel acquiescere in re possessâ, ex qua fructus percipitur. Quo modo fructio pertinet ad ipsam visionem, quia Beati videndo DEUM maximo suo fructu illum possident. Eadem responsione satisfit ad 2. nisi malis dicere, S. Doct. loqui de adeptione completivè non formaliter sumptâ, quo sensu verum est, quòd fructio pertinet ad complementum beatitudinis & adeptionis.

Ad 3. dico, ibidem ly *comprehensio* non accipi pro actu, quo DEUM consequimur, sed pro habitudine voluntatis ad finem jam habitum & possessum, sub quâ acceptione pertinet ad dotes animæ inf. referendas: ita enim se exponit implet S. D. in respons. ad 3. dicens: *Comprehensio non est aliqua operatio præter viam, sed quadam habendo ad finem jam habitum.*

Obijciunt etiam Scotistæ auctoritatem S. P. Augustini. Nam primò L. 10. confess. cap. 22. inquit: *Hac sola est vita æterna gaudere ad te, de te, propter te*, subdit cap. 23. *Beata vita est gaudium de veritate*, Rursus serm. 53. R. P. Mez. Theol. Schol. Tom. 11.

de temp. dicit: *Charitas est summum premium in celo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore DEI.*

Respondet, D. Augustinum, aliosque P. P. aliquando loqui de beatitudine integraliter acceptâ & omnibus numeris absoluta; mentem verò hujus Sancti D. satis constare è textibus pro nostrâ conclusione allegatis, & ex illo ipso *Sermone 53. de tempore*. Ubi post verba ab Adversariis citata, hæc subdit: *Quem quia præsentem vident, suavis diligunt, dulcius fruuntur*. En! quemadmodum S. Pater dilectioni & fructioni præsupponat DEUM clarâ visione præsentem & præobtentum.

Obijciunt secundo. Beatitudo formalis est intimâ unio cum Summo Bono; sed talis unio est amor. Ergò. Min. probatur: quia amor à D. Dionysio appellatur *virtus unitiva*, à D. Augustino L. 8. de Trinit. cap. 10. *Junctura quedam duo aliqua copulans, vel copulare appetens*: Ex quâ amicus vocari solet, aliter ego.

Respondet, distinguendo majorem. Beatitudo formalis est intima unio cum DEO consecutiva, & quasi effectiva, quæ pertinet ad intellectum, concedo. consecutiva & affectiva quæ pertinet ad voluntatem, nego. Illa facit objectum præsens, ista supponit; sicut enim objectum debet supponi conveniens subiecto, ut illud voluntas appetat, ita debet supponi unitum, ut in illo quiescat. Unde cum SS. PP. amorem appellant unionem, affectivam illam & consecutivam intelligunt.

§. V.

Rationes objectivæ.

Obijcies ex ratione primò. Beatitudo formalis debet adæquatè satiare naturam intellectualem in quantum est satiabilis: sed sola visio non ita adæquata satiat naturam intellectualem: ergò. min. probatur. Natura intellectualis non tantum est satiabilis secundum potentiam intellectivam sed etiam appetitivam; sicut Summum Bonum non tantum est naturæ objectivè explere intellectum, sed etiam voluntatem. Atqui visio solummodò satiat intellectum non autem voluntatem, quæ non nisi suo proprio actu satiari potest: ergò sola visio non satiat naturam intellectualem, in quantum est satiabilis.

Respond. disting. majorem. Beatitudo formalis debet adæquatè satiare naturam intellectualem in quantum est satiabilis, secundum omnes potentias æqualiter, nego. Secundum unâ formaliter, secundum alias causaliter seu radicaliter, concedo, & pariter dist. min. nego consequentiam: & ad probationem dist. min. visio tantum satiat intellectum non voluntatem formaliter concedo; causaliter & radicaliter nego. Ergò non satiat totam naturam intellectualem secundum omnes potentias formaliter, concedo secundum intellectum formaliter, secundum voluntatem causaliter & radicaliter, nego consequentiam. Ratio est: quòd solus intellectus est satiabilis per se primò per modum ascensionis & possessionis sui

D

sui

fui objecti : voluntas verò etiam si suo modo fatiatur formaliter per actum proprium, non tamen est satiabilis per modum affectionis & possessionis objecti, sed ex ipsa visione, tanquam affectione & possessione Summi Boni, amor ipsius, quo voluntas satiatur, connaturaliter sequitur; & sic visio etsi non formaliter, tamen causaliter & radicaliter etiam satiat voluntatem.

17. Instabis. In illo actu consistit beatitudo formalis, quo tenemus & adipiscimur objectum beatificum. Atqui Summum Bonum non tantum tenetur actu visionis, sed etiam amoris, siquidem DEUS non est objectum amoris sub ratione Summi Boni minus quam objectum visionis sub ratione Summi Veri & intelligibilis. Ergo non minus in actu amoris, quam visionis consistit beatitudo formalis.

Respond. vel neg. min. Quia ut dictum per actum amoris non tam voluntas tenet & possidet objectum, quam ipsa tenetur & possidetur ab objecto. Vel Dist. min. Summum Bonum non tantum tenetur actu visionis; si tentio improprie accipiatur pro quacunque tendentiâ in objectum concedo. Pro affectione & possessione ipsius, nego. Unde licet Summum Bonum sit æquè objectum amoris, quam visionis, & per utrumque actum utramque potentiam expleat, non tamen est objectum æquali modo: quia objectum visionis est ut assequibile, & sic in actu visionis fundat rationem beatitudinis formalis; objectum verò voluntatis & amoris est ut prosequibile, & sic præsupponit beatitudinem formalem tanquam possessionem sui per visionem intellectualem.

18. Urgebis ex Amico. DEUS non tantum est assequibilis sub ratione primi Veri, sed etiam sub ratione Summi Boni; sed sub ratione Summi Boni est objectum amoris & voluntatis, siquidem ratio Summi Boni pertinet ad spheram voluntatis, non intellectus: ergo. DEUS non tantum est assequibilis prout est objectum visionis & intellectus; sed etiam prout est objectum amoris & voluntatis.

Respond. dist. maj. DEUS est etiam assequibilis sub ratione Summi Boni, in quantum rō sub ratione reduplicat formalem rationem qua ipsius assequibilitatis & Summi Boni, concedo. In quantum reduplicat rationem sub qua utriusque, sic nego majorem. Sed sub ratione Summi Boni tantum est objectum amoris, in quantum ly ratione Summi Boni reduplicat rationem qua est assequibilis nego: in quantum reduplicat rationem sub qua est assequibilis, concedo minorem, & nego consequentiam.

Sensus est: Summum Bonum potest formaliter considerari prout est formalis terminus alicujus actus, & hoc est secundum rationem que, & rursus prout est motivum formale alicujus actus, & hoc est sub ratione sub qua. Itaque secundum priorem considerationem & reduplicationem DEUS etiam sub ratione Summi Boni est assequibilis; siquidem Beati per actum visionis DEUM cognoscunt ut suum sum-

mum Bonum, & cognoscendo assequuntur & possident: sed tunc ratio boni tantum habet vim terminativam, formalem verò rationem motivam habet ratio veri, quia Summum Bonum videtur, non ut ad se alliciens & trahens intellectum (quæ est ratio formalis sub qua ipse boni, sicut ejus ratio attrahibilitatis est ratio formalis sub qua ipse Veri) sed ut per ipsam visionem attraham & representatum in intellectu; unde in ipso summo bono ratio assequibilitatis adhuc pertinet ad rationem veri non ad rationem boni. Secundum posteriorem verò rationem, & prout Summum Bonum est formale motivum actus, sic est objectum amoris & voluntatis, quia ut sic habet allicientiam & attractionem appetitus, & sic prosequibilem, quod non pertinet ad rationem veri, sed ad rationem boni ut sic, & sub hac consideratione non est assequibile sed prosequibile. Patet igitur, DEUM sub ratione Summi Boni esse assequibilem, in quantum etiam infinita bonitas in sua essentia representata visionem terminat, non verò est assequibilis in ratione Summi boni, sed tantum prosequibilis, in quantum sua bonitate ad sui prosecutionem allicit: sic enim sui affectionem & prosecutionem præsupponit.

Objicies secundò. Beatitudo formalis consistit in perfectissimâ operatione nature rationalis: sed hæc est amor amicitie. Ergo. Miq. probatur in primis autoritate D. Augustini 15. de Trinit. cap. 19. dicente: *in deo DEI nihil majus esse charitate* deinde: *illud est melius & perfectius, cujus oppositum est pejus: sed odium DEI, quod opponitur charitati, est pejus, quam privatio visionis, que opponitur clare visioni DEI ergo.* Secundò voluntas tanquam potentia formaliter libera, & aliis modis ad operandum, est nobilior, quam intellectus: ergo etiam actus voluntatis est nobilior, quam actus intellectus. Tercio quod ad aliud ordinatur est minus nobile, quam illud ad quod ordinatur: sed visio ordinatur ad DEI amorem: quia ideo Beati DEUM vident, ut toto affectu in ipsum rapiantur. Ergo. Quartò. Ordo Seraphim, qui denotatur ab ardore charitatis, est perfectior quam Ordo Cherubim, qui denotatur a plenitudine sapientiæ: ergo præstantior est actus charitatis, quam cognitionis. Quintò. Perfectio hominis maxime satiativa illa censeri debet, quam homo ipse maxime desiderare debet, & quam DEUS ab homine petit maxime desiderari, sed hæc est perfectissimus amor DEUM patriæ. ergo.

Respondetur. Nego min. & ad autoritatem D. Augustini; illum loqui de donis hujus viæ, quæ sunt virtutes Theologicæ; & sic secundum Apostolum major horum est charitas. Ad rationem disting. maj. Illud est melius, cujus oppositum est specialiter pejus concedo. Secundum quid, & in aliquo tantum genere, nego. Sed odium DEI est pejus quam carentia visionis, in genere moris concedo. Specialiter & in genere physico nego min. & con-

quentiam. Ad secundum quoque similiter disting. antecedens : voluntas est nobilior secundum quid & quatenus in genere causæ efficiens alias potentias applicans concedo : specialiter nego. Nam ut voluntas secundum suam libertatem, subordinetur intellectui tanquam dirigenti & radicaliter libero, iste tanquam superior & director voluntatis specialiter est nobilior. Ad tertium disting. maj. quod ordinatur ad aliud seu medium intrinsecum ad finem, est minus nobile, concedo, seu essentia ad proportionem nego. Sed visio ordinatur ad amorem ut essentia ad proportionem concedo : ut medium ad finem, nego minorem & consequentiam. Ad quartum respondeo. Ista denotationes Seraphini & Cherubini tribui non ab amore & cognitione patris, sed ab amore & cognitione viæ ; ubi verum est quod amor sit perfectior, quam obsecra cognitio viæ. Ad quintum. Nego minorem. Nam homo specialiter desiderat, & DEUS ab ipso petit desiderari vitam æternam, non physicè secundum suam essentialem & primariam rationem, sed ut est in se, & secundum suam adequatam integritatem, & ut sic primario rationem, secundario includit charitatem.

§. VI.

Corollaria.

Colliges ex dictis primò. Quòd si homo non fuisset elevatus in finem supernaturalem, ipso formalis beatitudo naturalis consisteret in solâ contemplatione DEI quâ auctoris naturæ. Ratio est : quia beatitudo formalis est

actualis consecutio finis ultimi, ex quâ aliæ operationes naturæ rationalis perfectivæ dimanant ; sed consecutio DEI ut ultimi finis in statu naturæ non elevatæ in finem supernaturalem alia non esset, quàm perfectissima cognitio & contemplatio DEI seu primi intelligibilis & Authoris naturæ, ex quâ consequeretur connaturaliter amor ipsius : ergo beatitudo naturalis consistet in naturali & purissimâ contemplatione Deitatis. Minor ex dictis constat, quia primum intelligibile non alio actu consequimur, quàm quo illud facimus nobis intelligibiliter præsens ; sed hoc non aliter fit, quàm per actum intellectus. Ergo.

Colligas secundò. Beatitudinem hujus viæ apud Matth. c. 5. octo gradibus distinctam, esse beatitudinem in spe, ut habet S. Doctor. 1. 2. q. 69. a. 1. & magis in sensu causali, per modum causæ & meritù, quàm in sensu formali. Præter quam tamen beatitudinem datur in hac vitâ quædam participatio & inchoatio futuræ beatitudinis, quasi formalis, & hæc consistit in actu divinæ contemplationis, ut habet idem S. D. in 2. 2. q. 8. a. 4. quo intellectus prævio charitatis impulsu raptus & per donum sapientiæ elevatus intendit in imaginem divinæ bonitatis (non intuitam sed abstractam) quatenus super omnia appetiabilis. Quæ altissima contemplatio perfectorum propria, & nobilissima unio animæ cum DEO, quæ haberi potest in hac vitâ, est quidam prægustus æternæ gloriæ, possessio divinitatis, & ut inquit cit. S. D. quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continetur.

DISPUTATIO IV.

DE

Proprietatibus beatitudinis.

Consideratâ beatitudinis essentiâ, nunc illius consecutanea & parerga inspicimus. Ea sunt vel necessariò connexa, vel in ornatum adjuncta. Primi generis sunt necessitas & inamissibilitas. Secundi generis sunt dotes animæ & corporis, ac demum aureolæ. Nunc de singulis singillatim.

ARTICULUS I.

Quâ necessitate Beati DEUM ament ?

SUMMARI A.

1. Status quæstionis de necessitate exercitii.

2. Defenditur necessitas exercitii.

3. Expenditur Locus Doct. Angelici.

4. Non potest Beato imponi præceptum descendendi ab amore beatifico.

5. Necessitas non variat speciem actus.

6. Quandoam diversitas applicationis inducat diversitatem objecti ?

7. Quomodo actus amoris in Christo fuerit liber ?

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

8. Necessitas reperitur tam in amore concupiscentiæ, quam benevolentie.

§. I.

Assumitur necessitas tam exercitii, quàm specificationis.

Consequitur clarâ DEI visionem amor suavissimus. Sicut enim DEUS in illa beatitudine (teste D. Augustino l. ult. de civit. cap. ult.) sine fine videbitur, ita sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.

D 2

In